



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

163. An Sacerdos ante consecrationem teneatur confiteri, si sine nota possit? Et quid maximè de laico, qui antea confessionem præmiserat, & ad linteum Altaris recordatur alicujus peccati obliti? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

quodd tunc teneatur confiteri uni ex illis, five sub *Gloria in excelsis*, aut Graduali, aut *Credo*, quando ista decantantur: quia potest id fieri absque indecentia, & penè sine observatione aliorum: ac etiam ante consecrationem, dum canitur *Sanctus*; quia habet Confessarium sibi adstantem.

2. Caterum hoc satis communi consensu docetur, quodd non tenebitur Sacerdos ab Altari discedere, & Missam relinquere, casu, quo non possit alium ad Altare advocare. Vide D. Bonaventuram *sup.* & Soto *eadem dist. quest. 1. art. 6. Navar. cap. 21.*

Sup. his supra ad lib. 11. in principio hujus Ref. à vers. quinimo etiam & in rom. 2. tr. 1. Ref. 125. §. ult. & in alio vers. ejus annot. &c.

Sup. hoc cursum infra ad medium §. seq. vers. & Leandrus.

Sup. hoc cursum ad medium §. prateritii hujus Ref. vers. quem habet, ibi solum, & lege aliu vers. ejus not.

Sup. hoc in Refol. & §. not. primæ hujus Ref.

Si quis ante consecrationem recordetur, se aliquid prius sumpsisse, vel excommunicatum esse, aut peccatum aliquod commississe, tutius, inquit, reputarem maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quodd Missam inceptam desereret; nisi grave scandalum timeretur. Quibus indicat satis, etiam extra periculum scandali non esse absolute necessarium, ut deserat, præsertim in tertio casu, quem ponit: quia solum dicit, quodd reputaret esse tutius, idque maxime in duobus primis casibus.

Quodd si verò memoria peccati occurrat in Altari, antequam Sacerdos Missam inchoet, præmittenda erit Confessio; etiam si, ut Confessorem adeat, oporteret exuere vestes sacras. Ita Suarez *sup. sect. 4. cum Scoto in 4. dist. 9. q. 1.* quodd intellige, nisi obveniret inde scandalum aliorum, aut infamia Sacerdotis.] Hucusque Wiggers.

3. Unde ego ex his olim consului Sacerdotem, cui deserviebat pro Ministro alius Sacerdos Confessarius in quadam villa, cum dicendo Epistolam, recordatus fuit cujusdam peccati oblitus in Confessione; rectè, inquam fecisse advocando illum pro absolutione illius peccati, cum hoc sine scandalo effectissent: nam in dicta Capella erant tantum celebrans, & Minister. Et in terminis tunc adluxi Fagundez de *Præcept. Ecclesie, Præcept. 3. lib. 3. cap. 9. n. 11. in si-*

me, qui tamen cum multis aliis tenet absolute, Sacerdotem, qui cœpit dicere Missam, non teneri etiam ante consecrationem vocare Sacerdotem ad confitendum, si sine scandalo possit, ut confiteatur peccatum oblitum, vel in Altari commissum: quia jam actio sacra cœpta est, quam non decet interrumpere: nam ob aliam causam rationabilem interrumpi potest, & hæc satis rationabilis est: sed ad vitandum scandalum, aut infamiam, quam inde sibi ipse Sacerdos generare potest: quamvis enim hic non sequatur, nisi quædam admiratio circumstantium; tamen ex ea admiratione sumitur occasio sinistrè loquendi, suspicandi, & infamandi ipsum Sacerdotem: quod periculum moraliter semper datur, & est causa sufficiens, & iusta excusationis. Vide etiam Tannerum *rom. 4. dist. 5. quest. 8. dub. 2. num. 38.* Unde utramque sententiam probabilem putat Stephanus à Sancto Gregorio de *Sacram. lib. 3. cap. 26. num. 11.* Sed non est deferenda nostra sententia propter reverentiam debitam communi Magistro D. Thoma, qui sic ait in *3. part. quest. 83. art. 6. ad 2.* [Si ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quodd Missam inceptam desereret; nisi grave scandalum timeretur.] Hæc sanctus Doctor. Licet Martinus Ledesma in *4. sent. tom. 1. quest. 20. art. 3. post dub. 3.* absolute asserit, quodd Sacerdos, etiam in principio Missæ, si recordetur alicujus peccati, non teneatur confiteri, etiam si posset sine scandalo: quodd etiam tenet de laico jam parato ad Communionem: & Leandrus de *Sacrament. rom. 2. tract. 7. dist. 7. quest. 17.* asserit, Sacerdotem non teneri præmittere Confessionem, si antequam inchoet Missam existens in Altari, recordaretur de

Sup. hoc in Ref. seq. §. 2. à medio. & in aliis ejus annot.

aliqua culpa mortali, etiam si absque nota, & scandalo id posset facere. Sed hæc mihi non placet. Verùm hic obiter opponam dubium oppositum à Pellizzario in *Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 9. sect. 2. num. 42.* [An Sacerdos peccans mortaliter in actu celebrandi, v. g. dum à Cantoribus canitur *Credo*, aut *Gloria*, teneatur confiteri tale peccatum se commississe in ipsa Missæ celebratione, si in actu peccandi habeat animum confitendi Sacerdoti sibi, ut Diacono, assistenti, antequam prosequatur Sacrificium, videlicet, prius quam Cantores absolvant *Credo*, aut *Gloria*. Respondetur, non teneri id exprimere in Confessione: patetque ex eo, quodd in præsentī casu ultra peccatum, in quodd Sacerdos confensit, v. g. odij, neutiquam committit sacrilegium; sicut aliqui prima facie putant, ducti ex eo, quodd peccat in ipsa actione Sacra celebrandi, & hoc excusante levitate materię, quæ in hac materia omnino admittenda est; & in proposito casu spectari potest tum respectu partis Missæ, intra quam peccatur, quæ est accidentalī, ut suppono, non autem substantialis, (qualis esset consecratio,) tum respectu temporis, quo dictus Sacerdos peccat, & persistit in peccato: quodd tempus est breve, & minus proprium Missæ, ne dicam ipsi extraneum; utpote quodd insubebatur in canendo *Gloria*, aut *Credo*, quæ jam supponimus Sacerdotem secrete recitasse, quando consentit in peccatum, ita ut cantatio illa Symboli, v. g. quodd vocamus *Credo*, simpliciter non spectaret ad Missam, neque quoad integritatem; adeoque confiteri posset ipsi quasi extranea; ita ut Sacerdos supradictus aliquo modo dici possit non peccasse intra Missam, sed extra illam.] Hucusque Pellizzarius.

RESOL. CLXIII.

An Sacerdos ante consecrationem teneatur confiteri, si sine nota possit?

Et quid maxime de laico, qui antea confessionem præmiserat, & ad linteum Altaris recordetur alicujus peccati oblitus?

Et an, si Sacerdos statim post introitum recordetur peccati mortalis, non teneatur accedere Confessarium, quamvis id fieri sine nota possit? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 77.

§. 1. **A**ffirmativè respondent Coninch de *Sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. n. 16.* ubi sic ait: Si Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali ante consecrationem, tenetur confiteri, si sine nota possit. Ita ille cum Suarez, Navarro, & aliis.

2. Contrarium tamen docent novissimè Petr. Matthæus in *annot. ad rubricas Missalis, p. 1. cap. 8. n. 5.* & Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 5.* cum Soto & Victoria etiam Sacerdos statim post introitum recordetur peccati mortalis, non enim est opus accedere Confessarium, quamvis id fieri sine nota possit; sed satis est, imò etiam consultius, elicitæ contritione, & postea confitendi proposito ob honorem sacrificij pergere, & cœptum perficere. Et hanc etiam sententiam docent Henriq. *lib. 8. c. 46. num. 3.* qui etiam ibidem in *gloss. litt. A.* tenet, quodd laicus, qui ad linteum Altaris aditatus paratus communicare, & confessionem præmisit, excusatur præter reverentiam Sacramenti, ne statim redeat ad Confessarium, ut directè absolvatur à peccatis, quorum fuerat oblitus, & hoc etiam seculi nota, & scandalo. Ita ille, licet contrarium asserant Medina, Ledesma, Cano, Sylvestre, & alij ubi infra in hoc tract. citati. Sed Reginald. in *praxi tom. 2. lib. 29.*

lib. 29. n. 4. sect. 1. num. 105. tenet opinionem Hen- riques, etiam quoad laicum ad linteum altaris pa- ratum communicare.

RESOL. CLXIV.

An si Sacerdos ante Missam confessus est, & postea celebrando peccatum mortale in confessione oblitum in mentem venerit s; utrum teneatur in tali casu elicere actum doloris & contritionis de illo peccato? Et cursum deducitur, quod quamvis quis in Paschate teneatur confiteri, tamen si non habet copiam Confessarii, non tenetur conteri. Ex part. 2. tract. 14. Resol. 48.

Hanc questionem non inveniò apud multos, & sæpius in praxi potest occurrere. Affirmativam sententiam ex Medina, Suarez, & de Grassis, docuit Valerius Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 5. c. 5. sect. 3. num. 9. quia necessarium est de peccatis penitere, sicut & confiteri, non solum ad finem consequendi eorum remissionem, sed etiam ad impletionem præcepti, ad quam non sufficit sola virtualis peccati detestatio.

2. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse censui his diebus de hoc casu interrogatus. Dico igitur, eum qui iustificatus fuit per penitentiam virtutalem, nec recordatus alicujus peccati mortalis, non teneri ad eliciendum actum contritionis, postquam peccatum illud venit in mentem, nisi forte velit confiteri iterum, aut nisi alio titulo teneatur elicere actum contritionis: & ita in simili casu docuit Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 86. art. 2. dub. 2. num. 11.

3. Probat hęc opinio. Primò, quia contritio est necessaria ad culpam, & peccati remissionem, sed illud peccatum oblitum jam in confessione virtualiter fuit verè remissum. Ergo, &c. Nec valet dicere, quòd fuit remissum cum obligatione, quòd si in mentem venerit, ille qui confessus fuit, teneatur de illo formaliter iterum elicere actum contritionis. Nam respondeo, hanc obligationem non consistere, imò apparet contrarium, nam de jure naturæ quis tenetur ad formalem penitentiam, ut iustificetur & reconcilietur Deo. Hic autem jam fuit iustificatus, & reconciliatus Deo per penitentiam virtutalem. Ergo, &c. De jure verò positivo divino nulla talis obligatio apparet. Nam ubi in Scriptura dicitur penitentiam esse necessariam, fit sermo de peccatoribus. Imò Luca 15. dicitur, justum non egere penitentia. Adde quòd in nova lege nullum est præceptum divinum merè positivum, præter præcepta circa Sacramentorum susceptionem: de jure autem positivo humano non potest extare tale præceptum: nam Ecclesia non potest præcipere actus internos. Ergo non apparet, unde & quo jure extet hoc præceptum in nostro casu.

4. Potest igitur Sacerdos tunc sequi Missam inceptam, & non elicere actum contritionis, sed postea confiteri suo tempore peccatum illud oblitum, & tunc de illo atteri, vel conteri. Nec valet dicere, ut quidam Theologus olim de hoc casu, interrogatus aiebat, quòd Sacerdos, cum teneatur in nostro casu confiteri, teneatur etiam conteri: nam hoc, salva pace, falsum est; non enim quoties quis tenetur confiteri, tenetur etiam conteri. Et sic, ait Filiucius tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 209. ex communi sententia DD. quis in Paschate tenetur confiteri, & tamen si non habet copiam Confessarii,

non tenetur conteri. Sic, & in nostro casu. Ergo, &c. Ex dictis patet responsio ad rationes contrariæ sententiæ.

RESOL. CLXV.

An Sacerdos, qui post confessionem recordatur in Altari de aliquo peccato oblitio, teneatur de illo conteri ante sumptionem Communionis? Et reprobat hanc sententiam, quod qui per oblivionem omisit aliquid peccatum in confessione, & postea de illo recordatus fuerit, non tenetur illud confiteri antequam celebret, sed in tempore, quo præceptum affirmativum confessionis obligat per se, semel in anno. Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. Res. 5.

Negativam sententiam docui in part. 2. tract. 14. de celebratione Missarum. * Resol. 48. pro qua auctorem in terminis illam tenentem non adduxi: tunc verò ad tollendos omnes scrupulos illum adducam, & is est Jacobus Granado in 3. part. D. Thome, controvers. 6. tract. 10. disputat. 7. num. 14. & Joannes Præpositus in 3. part. quest. 80. art. 5. dub. 3. n. 15. ubi sic ait: Adverte, quod dictum est de contritione elicienda, intelligi de eo, qui postquam peccavit non est confessus: nam si aliquis sit legitime confessus, qui in confessione ex oblivione, vel justa de causa aliquid peccatum non explicuit, non tenetur elicere contritionem de illo peccato, quo casu potest communicare antequam præmittat confessionem & absolutionem illius peccati, quia per præcedentem confessionem & absolutionem, illius peccati remissionem est consecutus, quamvis indirectè sit in statu gratiæ. Unde ex eo capite non tenetur conteri, nec potest assignari aliud caput, ex quo obligetur eo casu ad eliciendam contritionem. Ita ille. Sed hanc sententiam tunc ego admitto, quando talis non posset confiteri: ut si, v. g. dicat Missam, & recordetur peccati oblitio, tunc enim non tenetur elicere actum contritionis, ut diximus loco citato; secus autem si de peccato oblitio in præterita confessione recordetur in tempore, quo sine scandalo possit de illo confiteri ante communionem: nam tunc tenetur præmittere confessionem de illo peccato, licet per aliam confessionem indirectè absolutus, & de illo atteri, seu conteri, in posteriori hac confessione. Et ratio est, quia præceptum præmittendæ confessionis, quando est conscientia peccati mortalis, amplè est accipiendum in gratiam hujus Sacramenti, quæ ei debetur, præsertim quòd quodammodo gravet conscientiam peccatum illud, quamdum est obligatio illud confitendi. Unde ex his patet reprobandam esse sententiam Petri Cornejo tom. 2. in 3. part. D. Thome, tract. 4. quest. 80. disput. univ. dub. 3. num. 3. ubi tanquam probabile admittebat, quòd qui per oblivionem omisit aliquid peccatum in confessione, & postea de illo recordatus fuerit, non teneri illud confiteri, antequam iterum celebret, sed in tempore, quo præceptum affirmativum confessionis obligat per se semel in anno, quia ideo præcipitur confessio ante communionem quando est conscientia peccati mortalis, quia probatio requisita ab Apostolo non debet relinqui iudicio proprio, sed Confessoris; at iste, de quo loquimur, est in gratia iudicio Confessoris: ergo non est præcepta ei nova confessio. Verùm hanc opinio in nostra Inquisitione Hispanica fuit per edictum particulare deleta, licet alioquin memoria ejus auctoris sit omni laude dignissima, cum fuerit vir doctiss. inter Theologos Salmanticensis sui temporis.

* Quæ hic est Res. antecedens, & in Res. seq. & infra in Res. 181. §. ult. signanter paulo post iurium, à verf. Pero.

Sup. hoc, & sequentibus in hac Res. laicè supra in Res. 143. & in aliis ejus primæ annotationis, & signanter cum eo sem Cornejo hic citato, in ejus §. Nec hic, & in alio §. ejus annot.

RESOL.

Sup. hoc in Res. 143. & in alio §. ejus annot. & in Res. 181. §. ult. signanter paulo post iurium, à verf. Pero.

TON
ORA
10 II
E III